

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput VI. Quid hominem in religione conservet.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

Religiosus
verba, sensus
et cor
maxime
custodiat.

virtutes et merita ipsius, et omnia quæ per eam Deus operatus est magnalia, miro modo apparebant. Anima vero accedens ad eam, rogabat pro se et Congregatione orari ; at illa cum multa reverentia coram Filio genua flectens, ipsius vulnera devotissime salutavit, præcipiens animæ, ut et ipsa similiter faceret, dicens : « Accede et tu, et saluta vulnus dilectissimi Cordis Filii mei, quod pertulit omnia corporis sui vulnera. » Quod dum gratanter fecisset, orabat Dominum ut sibi revelaret quid maxime ab eis observari vellet, per quod et Religio posset augeri. Qui respondit : « Qui vere Religiosus effici desiderat, oculos suos custodiat ab omni illicito et etiam inutili intuitu ; similiter et aures suas absteineat, ne unquam audiat, quo cor ejus maculam contrahat ; prohibeat quoque os suum ab omni inutili verbo, et si quid vidit vel audit, nunquam os suum inde loqui permittat. Cor etiam suum maxime custodiat, ne unquam in malis cogitationibus delectetur, aut sponte immoretur. Homo enim cogitationes cordi advenire prohibere non potest ; sed ne ipsis consentiat aut sponte admittat, faciliter dimittere potest. Observet etiam diligenter omnia facta sua, et quotiescumque in aliquo deliquerit, nunquam cor suum quiescat, donec sibi veniam a Deo postulet, et cum primo potest illud confiteri proponat. »

CAPUT VI.

QUID HOMINEM IN RELIGIONE CONSERVET.

ALIA deinde vice, cum attentius pro Congregatione orasset, quatenus eam Deus in suo servitio omni tempore custodiret, et suam gratiam in eis augendo, omnibus virtutibus florere et bonis faceret prosperari, tale a Deo accepit

responsum: « Quamdiu in eis humilem invenio subjectionem, virginalis castitatis amorem, dulcem gratitudinem, et amicabilem amorem, oculos meæ paternæ protectionis ab eis nunquam avertam, nec eas in suis necessitatibus derelinquam. Humilem subjectionem, ut scilicet prælatis suis et in invicem humiliter et simpliciter obediant; virginitatis amorem, hoc est ut non solum teneant virginitatem, sed etiam amore quo ipsam diligunt castitatem, ab omni quod eis maculam inferre possit, cor et sensus suos custodiant, sicut qui xenium sibi valde carum et perutile haberet, omni diligentia caveret ne illud perderet aut depravaret; dulcem gratitudinem, ut non solum dona Dei spiritualia, sed etiam corporis necessaria, victum et vestitum, dulci corde et hilarî sufficientia cum gratiarum actione suscipiant, nequaquam eisdem se dignas reputantes; amicabilem amorem, ut non solum Deum sincero diligant corde, sed etiam in invicem in Deo se diligant, et opera charitatis in omnibus sibi certatim exhibeant. »

Subjectio
castitatis
amor, gra-
título et
dilectio.

CAPUT VII.

DE TRIBUS DEO VALDE ACCEPTIS.

« **S**i quis etiam acceptabile mihi munus offerre voluerit, in his tribus se studeat exercere. Primum est, ut proximo suo fidelis sit in omni sua necessitate et angustia, omnesque defectus ejus et peccata in quantum potest, minuat et excuset. Quod qui fecerit, ei ero fidelis in omnibus quibus et ipse indiget, omnia peccata ejus et negligentias tegendo, apud Patrem meum excusabo. Secundum est, ut homo in omni

Fideliter
subvenire
proximo.